

N. 32.

A. D. 1100.

(ottobre, Indiz. VIII).

<i>Data di luogo</i>	Bari.
<i>Rogatario</i>	Iohannes protonot.
<i>Descrizione</i>	Taglio rettang.: alt. 0,67, largh. 0,29. È staccato il suggello di piombo.
<i>Scrittura</i>	Minuscola nitida, con qualche elemento di corsiva.
<i>Contenuto</i>	Sentenza del giudice <i>Nicolaus qui et melipezzis</i> , con cui aggiudica alla chiesa di s. Nicola tutta la so- stanza di un tal <i>Rigellus</i> , che era <i>defensus ecclesie s. Basili</i> , posta <i>in curte pretorii puplici</i> , dove ap- punto era sorta la chiesa di s. Nicola. La sentenza è pronunziata contro le sorelle <i>Laita e Grima</i> , <i>f. Iohannis</i> , discendenti di <i>Rigellus</i> ; la chiesa di s. Nicola è rappresentata da <i>Iohannizzius, f. Theof- filacti protospatarii</i> .
<i>Bibliografia</i>	Pubblic. per intero da <i>PUTIGNANI, Historia della vita etc</i> , pg. 421.

† In nomine sancte et individue trinitatis. Anno incarnationis domini nostri iesu christi millesimo centesimo, mense octuber octaba indictione. Residente me Nicolao barinorum critis qui et melipezzis in curte gloriosi nostri domini Boamundi in civitate Bari, cum ceteris nobilibus hominibus subscriptis testibus ad iudicandum et diffiniendum causas et altercationes uniuscuiusque hominis ad nos venientis. Tunc nostram ante presentiam, venit Iohannizziūs f. Theofilacti imperialis protospatarii de ista predicta civitate, compellans in vice ecclesie sancti Nicolai confessoris christi, et vice domini nostri Helie venerabilis archiepiscopi super Laitam uxorem Nicolai. et Grimam uxorem Disigii, ambas sorores, et filias Iohannis de prephata civitate Bari. dicendo domine critis reclamor, super has predictas so-
rores, quod iniuste tenent causam et hereditatem, que fuit hominis, nomine Rigelli, perte-
nentem ei, intus hac prephata civitate, et foris, que res pertinet iamdictae ecclesie beati Nicolai, eo quod predictus Rigellus fuit homo defensus Ecclesie sancti Basillii que olim fuit in curte pretorii puplici, ubi nunc est prephata ecclesia beati Nicolai, et fuit ipse Rigellus mortuus sine filiis. Et ideo res sua pertinet predictae ecclesie sancti Nicolai. Hanc compella-
tionem audiens ego qs. critis misimus et fecimus venire iamdictos viros predictarum sororum Nicolaum et Disigium in iamdictam curtem ante nostram presentiam. Qui venientes et pre-
scriptam compellationem factam super uxores eorum audientes, et a me qs. criti interro-
gati, quid inde dicerent, dixerunt, domine critis hec res uxorum nostrarum est, et nos ni-
chil habēmus in ea, et nobis non pertinet inde respondere, sed nostre uxores faciant exinde quod eis placuerit. Quibus ego qs. critis dixi, rectum est, ut vos pro uxoribus vestris re-

5

10

15

20

spondeatis, et contendatis vel inde advocatores mittatis. Unde misimus, et fecimus venire et predictas mulieres. ante quas predictus Iohannizzius compellavit super eas tali modo, ut superius dictum est. Hanc compellationem audientibus predictis mulieribus, dixi, quem vellent in legitimum advacatum habere. Dixerunt, domine critis volumus ut isti viri nostri 25 pro nobis respondeant et contendant. Et illi dixerunt, domine critis dum nostre uxores volunt ut nos pro eis contendamus, libenter contendimus. et mox ad eamdem compellationem predicti Nicolaus et Disigius responderunt dicentes, domine, uxores nostre iuste tenent res unde prephatus Iohannizzius super eas compellavit secundum continentiam scripti iudicati, quod exinde factum est. Quod michi qs. criti ostensum est, et fecimus illud legere, et con- 30 tinebatur in eo, quomodo ipse Rigellus ordinasset epitropos domnum Iohannem sacerdotem, qui dicitur de ipsa rosa, et Romoaldum f. Petri protospatarii et manglaviti, et Magola f. Fridelgisi episcopi. et iudicasset causam suam, et per fustem commisisset in manibus ipso- rum epitroporum Gaitam sororem suam cum omnibus rebus, quas videbatur habere, et per eumdem fustem dedit et tradidit potestatem ipsum mundium eius, et cetera que in eodem 35 scripto iudicationis continentur. Quo lecto, dixit prephatus Iohannizzius, domne critis, nos non debemus respondere ad ipsum iudicatum, eo quod bacuum et sine lege factum est. Nam iamdictus Rigellus defensatus fuit ecclesie sancti Basillii, qui etiam si liber fuisset, bacuum esset ipsum iudicatum, eo quod continetur in eo dedisse mundium sororis sue ad ipsos epitropos, sine pretio et sine merito. Cuius e contrario, ipse Nicolaus et Disigius re- 40 sponderunt dicentes, istud iudicatum per legem factum est, et predictus Rigellus defensatus non fuit. Has altercationes audiens ego qs. critis, dixi ad predictum Nicolaum et Disigium, fratres, hoc iudicatum certissime bacuum et sine lege factum est, quoniam ipsam traditionem de mundio ipso, qui idem Rigellus dedit suis epitropis, si volumus dicere quod donatio fuisset, meritum appositum ibi non fuit, et si eam volumus nominare venditionem, premium ibi 45 non fuit datum, ergo, nec hoc, nec illud est. Unde iudicamus illud pro vacuo. Tamen, quamvis bacuum sit iudicatum ipsum, et vestre mulieres propter hoc iudicatum res ipsas prephati Rigelli tenere non possunt, laudo, ut pars ecclesie sancti Nicolai ostendat scripta quomodo ipse Rigellus defensatus fuisset ecclesie sancti Basillii. Unde prephatus Iohannizzius abiit, et duxit duo sigilla greca, et ego feci ea legere, et unum erat continens, quomodo 50 Romano antipatus, patricius, besti et catepanus et alterum sigillum erat continens, quomodo Iohannes patricius, et catepanus, dederunt Sasso cum fratribus suis servitiales et defensatos ad ecclesiam sancti Basillii, et invenimus quomodo ipsum Rigellum esse (*sic*) de progenie prephati Sassonis, secundum continentiam cartule, quam prephatus Nicolaus et Disigius nobis ostenderunt. Quibus lectis ego qs. critis dixi eidem Nicolao et Disigio, ecce 55 vos videtis per ista sigilla quomodo ipse Rigellus defensatus fuit. Unde ipse Rigellus iudicare non potuit, quoniam liber non fuit. Etiam si liber fuisset iudicatum ipsum sine lege factum est. Unde iudico ut tota causa et hereditas que fuit predicti Rigelli, intus hac civi-

tate et foris, sit de predicta ecclesia beati Nicolai, et iamdicti domini nostri Helie, venerabilis archiepiscopi eiusque successorum, et rectorum eiusdem sancte ecclesie, et ipse mulieres vestre nec earum heredes, nichil inde habeant. Unde ego qs. critis per auctoritatem gloriosi nostri domini Boamundi per fustem dedi et tradidi ad predictum Iohannizzium totam prephatam causam et hereditatem, que fuit prephati Rigelli, intus hac prephata civitate et foris, ubicumque habuit et pertinuit, cum omnibus suis pertinentiis. Quam traditionem ipse Iohannizzius recepit vice ecclesie sancti Nicolai, et domini nostri Helie venerabilis archiepiscopi, ut a modo sit in potestate et dominatione ipsius sancte ecclesie et domini nostri archiepiscopi, et omnium successorum eius, et rectorum eiusdem sancte ecclesie, habendi possidendi, et omnia exinde faciendi, ut eorum erit voluntas sine requisitione et contrarietate ipsarum mulierum eārumque heredum, omniumque hominum. Unde pro securitate et defensione prephate ecclesie sancti Nicolai et domini nostri Helie venerabilis archiepiscopi et eius successorum et rectorum eiusdem sancte ecclesie, hoc scriptum iudicii, diffinitionis et traditionis feci scribere eis, in quo propria manu mea me subscripsi, una cum istis nobilibus hominibus, qui in his omnibus prescriptis inventi sunt, et nostra plumbea vulla ex nostro tipario illud consignare feci. Quod per nostram iussionem scripsit Iohannes noster protonotarius de iamdicta civitate Bari qui et interfuit.

† Nicolaus barinorum critis qui et melipezzis.

75

† Ego Nicolaus testis sum.

† Ego Libonis testis sum.